


N. 66. 51.







O R A T I O

DE EBRIETA.

TE ET CRAPULA DE-
TESTANDA AC FUGIENDA,

E T

TEMPERANTIA AC SOBRIE-
tate amanda & amplectenda,

*In Inclÿta Academiâ VVittebergensi conscripta & publicè
pronunciata in Auditorio maximo Collegij D. FRIDERICI,
die XI. Februarij, Anno M. DC. XVI.*

à

Francisco Schvvabio Racebur-
gense Saxone, Philosophiæ & Opt.
Artium, M.

Ephes. 5.

Μὴ μεθύσησθε οἴνω, ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσωτία.

W I T T E B E R G Æ.

Ex Officina Typographica Johannis Richteri.
Impensis Pauli Helvvigii Bibliop.

Anno M. DC. XVI.



*Illustrissimo Principi ac Domino,
Domino*

**FRANCISCO,
Duci inferioris Sa-
xoniae, Angariae & Westphal. &c.**

*Domino suo Clementissimo, debitaque
animi submissione colendo.*

S. D.

I*llustrissime Princeps ac Domine, Do-
mine Clementissime, non dubito, quin Il-
lustrissima Celsitudo Vestra memoria te-
neat, quo pacto parens meus charissimus, ANTO-
NIUS SCHVVABIUS An. 1605. 24. Octob:
in vera agnitione & ardenti invocatione aeterni Fi-
lij, Domini nostri Jesu Christi, vitam suam finierit,*

A 2

ES

Et præter expectationem omnem atatis anno 43. diem suum obierit, cum antea viginti & unum Annos sub Illustrissima Celsitudinis Vestrae tutela & patrocinio diversis in locis Ecclesie Dei viventis fideliter servivisset.

Primum enim, ut multis adhuc bonis in Patria constat, & ex manu ipsius propria sacrosanctis Biblijs inserta apparet, duos Annos integros Stapelij Diaconum egit.

Deinde Annos XII. continuè Raceburgi in Templis Scholisq; docendo contrivit.

Deniq; in montem D. Georgij prope Raceburgum legitimè vocatus, Montis S. Georgij, & Illustrissima Arcis Raceburgicae Pastor simul electus & promotus est, officioq; illi VII. Annos ad finem vitæ suæ usq; cum laude præfuit.

Parens verò hic meus quàm multis, quàmq; præclaris beneficiis toto vitæ tempore ab Illustrissima C. V. fuerit exornatus, non minus mihi, quàm multis bonis satis superq; innotuit, & ipse vivus apud multos tam externos, quàm indigenas prædicavit. Commemorationem igitur longiorem si instituere vellem, actum agere, simul & Illustrissimam Celsitudi-

situdinem Vestram longa oratione onerare velle videri possem.

In fratres meos tum Petrum, tum Johannem VVilhelmum, quanta beneficia liberalissimè ac paternè Illustriss. C.V. usq; ad hoc presens tempus contulerit, non minùs mihi, ac illis ipsis, quàm bonis aliis notum est.

In me hoc accedit beneficium sanctissimum, quòd Illustriss. C.V. anno 1587. 23. Novembr: in baptisinate sacro nomen suum mihi attribuere clementissimè dignata est: quo beneficio in hac vita mihi nullum magnificentius ac praeclarus prestari potuit unquam.

Pro hoc ergo, & aliis innumerabilibus, quae Illustriss. C.V. Parenti & Fratibus meis contulit, beneficiis, ipsorum nomine gratiam me debere Illustrissima Celsitudini Vestrae agnosco & profiteor immortalè, & memoriam nunquam intermorituram.

Ut autem significationem saltè aliquam ac specimen quaecunq; gratitudinis exhibeam, cum mea tenuitas non ferat, ut gratiam meritis dignam, si vel maxime vellem, referre possim; ORATIUN-

A 3

CU-

CULAM hanc, quam hic conscripsi & publicè in
confessu doctissimorum virorum recitavi, sub Illu-
strissima Celsitudinis Vestra nomine in lucē emittere,
& eidem dedicare volui, submissè rogans, ut hanc pro-
solita in literas & literatos propensione aequi boniq; fa-
ciat, serenoq; vultu strenua non minus ac gratitudi-
nis loco accipiat; Et inprimis eo animo & favore,
quo parentem meum prosequuta fuit verè paterno
& clementissimo, in posterum me indignum clien-
tem cum meis quoq; prosequatur.

Hoc si precibus meis submissis ab Illustrissima C.
V. ut nullus ambigo, obtinero; me totum Illustriss.
C. V. in perpetuum consecratum fatebor humillime.

Quod restat, Illustrissimam C. V. cum Illustrissi-
ma conjuge, totaq; generosissima Sobole, & universa
domo Saxonica perillustri, Dei omnipotentis custo-
dia fidelissima, & ME, meosq; iterum atque iterum
Illustrissima Celsitudini Vestra commendo. Uite-
berg à die Concordia, qua ante annos septuaginta in
Christo obdormivit Beatus ille Martinus Luthe-
rus,

*rus, Evangelicæ veritatis propugnator invictus, an-
no M. DC. XVI.*

Illustriss. C. V.

humiliter subjectus

M. Franciscus Schvva-
bius, minister Academiæ.



PRO-



PROGRAMMA
Rectoris Academiae Wit-
tebergensis

Perillustri Comi-
tis EMERICI THURZO de
Bethlemffalva, Liberi ac Hæreditarii Comitis de
Arvva, ejusdemque Comitatus Arvensis supremi
ac perpetui Comitis &c. quo Studiosa Juven-
tus ad auscultandam orationem in-
vitatur.

D Hilo Judæus, vir liberaliter, ut D. Augusti-
nus ait, eruditissimus, cujus eloquium Græci
Platoni æquare non dubitant, in libris, quos
de plantatione Noæ & Temulentia scrip-
sit, à Philosophis quæsitum ait, an Sapiens in-
ebrietur; quod argumentum etiam Seneca epist. XXXIII.
luculentè tractat. Postquam autem considerationes non-
nullas de duplici ebrietate, quarum una vino madere; alte-
ra vino delirare significet; de sapientis & boni viri officio,
an

an scilicet hoc patiatur, ut in bibacitatis certamen descendat; De veterum item hilaritate moderata; recentiorum verò insana & plusquam Cyclopica.

Hæc ergò & similia postquam veluti proœmia præmisit; De comestationibus verba hæc proponit memorabilia: Videmus istos, qui quotidie descendunt in certamen temulentia, & hoc agunt solum, ut vini plurimum in ventrem ingerant, symbola quidem conferre tanquam in aliquid utile; mulctari tamen rebus omnibus, PECUNIIS, CORPORE, ANIMA. Nam hujusmodi collationibus & REM familiarem minuunt; & CORPORIS vires per delicatum victum frangunt atque molliunt; & ANIMAS hiberni torrentis in morem immodicis delitiis inundatas demergunt in barathrum.

Cùm autem ita naturâ comparatum sit, ut multifariam serpat ac pascatur in hominum animis malum; bonum verò exile rarumq; in his inveniatur: admonitionem addit utilissimam: Ne sequaris ea, quæ vulgo justa videntur; sed potiùs eos, qui quod justum est, faciunt.

Eadem Seneca mens est, qui non syllogismis agendum ait, si quis colligere velit, Virum bonum non debere ebrium fieri: sed dicendum, quàm turpe sit, plus sibi ingerere, quàm capiat, & stomachi sui non nosse mensuram; quàm multa ebrii faciant, quibus sobrii erubescant; quas clades ediderit publica ebrietas: Nihil aliud esse

B

ebrie-

ebrietatem, quàm voluntariam insaniam. Omne enim vitium ebrietas & intendit & detegit; & obstantem malis conatibus Verecundiam removeret.

Testatur hoc idem Manilius his versibus:

Ardescit vicio viciū, viresque ministrat

Bacchus, & in flamma sævas exuscitat iras:

illustri iracundia docens exemplo, si ad vicia qualibet accedat temulentia, perinde esse, ac si oleum camino addatur.

Cæterum quantumvis assidue monitis hujusmodi circumsonent plerorumque aures; quantumvis oculis obversentur damna & pericula, quæ illi incurrunt, quorum consuetudine insanix durata vicia, vino concepta, etiam sine illo valent: Tamen ubi vel locum, vel tempus ullum reperiemus, in quo cesset ebrietas?

Quæ cum cogitarem, tanto facilius permisimus, ut de hoc argumenti genere, hoc præsertim tempore, orationem à se elaboratam publicè recitaret M. FRANCISCUS SCHVABIUS, Academiae Minister publicus. Instant enim dies illi, quibus licitum sibi multi autumant, morem inveteratum & nimium frequentem usurpare, ut Bacchanalium causa conveniant, & poculis liberaliùs indulgeant. Iis igitur utilius & laudabilius foret, si & tempus, cujus jactura preciosissima, & sumptus ad studia subministratos rectiùs collocarent; & ita se compararent, ut & ipsi diligentia in studiis adhibita specimina frequentius, quàm fieri non sine dolore videmus, ederent.

Interim

*Interim studiosos adolescentes hortamur, ut ad auscul-
tandam orationem illam postea hora II. post finitam con-
cionem sacram in auditorio maximo frequentes conveni-
ant. P. P. Dominica CHRISTI prædicentis passio-
nem, mortem & resurrectionem suam,
Anno M. DC. XVI.*



B 2

In



In ebriosos Epigramma.

Vos farciendo deditos abdomini,
Mortem haurientes, unde vitam ceteri,
Quos manè primum, seraq; videt vespera,
Mensa asidentes, poculisq; grandibus,
Infame donec sitis intuentibus,
Fadam vomentes crapulam, spectaculum:
Homines quis esse credat istis vultibus?
Liventibus tot fronte picta pustulis?
Naso pyropis tot madente marcidis?
Cingente limbo oculos rubentes coccino?
Oculis fluore turgidis vinaceo?
Rictu madente, diffluentibus genis?
Vos immò quisnam comparàrit bestijs?
Namq; ebriosas nemo vidit bestias.
Qua sorte dignos ergo vos censebimus?
Hac scilicet. Vivos ebrietas ut suos
Afficere poenis quibus amatores solet,
Vos usque & usque strenuè distorqueat,
Tumuloq; stratos perpetua premat sitis.

V. B. T.

In



In Orationem Humanissimi & Doctissimi
Dn. M. Francisci Schvvabii
 de Bacchanalibus.



*Uum malè conueniant nec in unâ sede morentur
 Liber parens & liberales virgines:
 Tu benè secernis Schvvabi & sollerter utrumq;
 Gregem, atq; quemq; propriò locas locò?
 Musica post pergent Musa: Summoenia fœda
 Crypta lubidini osa Bacchus incolet.
 Quin si fortè cui genio indulgere placebit,
 Excolere festa Liberalia edoces,
 Sanguine parta DEI: quem ludò hoc LUDIO abysſi
 Ludos atroces atq; sarcasmos facit.*

M. And. Groshenning.



Ad humanissimum & doctissimum
Dn. M. Franciscum Schvvabium de Temperan-
 tia differentem, amicum colendum.

*Κοίραν & ὠράων νῦν ἡματ' ἀνήγαγεν, ἐν τοῖς
 ἰκεσίην χριστοῖο καὶ ἀματόεντας ἀέθλας*

B 3

δει

δεῖ βαθέως σκοπέειν, ὅτ' ἀμαρτὰ δ' ἑὶ ἰὸν ἀμέρσας,
χωομένεστε πατρός μελίξας ἄτροπον ὄργην
ἐν σαυρῶ Θεόπαις μάλ' ἀεικέα πότμον ἀνέτλη.

Μνωομένων δὲ λύτρα τέτρα πὸς ἑσὶν ἀριθμός;
γασρὸς τερπώλας πλεῖστοι προέλοντο Λυτρώττω.

Τοιαύτην μανίην, ἀνέρων ὅτε Φαίδιμον ἀνθ' ἑ
ἀμφιδὸν ἠγέρθη μισῶν ἐν δώματ', ἐλέγχων
χρήσιμα μισοπόλοις γλώσση ῥωμηίδ' ἐνίπλευς,
νήδυμα Λευκορέης μισέων κληΐδας ἔχουσι.

Συγχάρω Φραγκίσκη τεῖν πεφιλημένε μίσσας,
εὐχόμεν ἑ τῶτον μόχθον κεχαρισμένον εἶναι
ἠγεμονῆϊ τεῆς πάτρης, ἠρωῖ μεγίστῃ
Φραγκίσκῃ, ἀρετῶν ἐμφύχῃ εἰκόνι πασῶν.

*Naamannus Bernbardinus Husa-
nus Holsatus.*

Viro eximiè docto,

Dn. Francisco Schvnbio Opt.

Art. M. Inclutæ Academiæ VVitteberg.
ab officiis publicis,

Egregiè de Ebrietate differenti die ac anno
Vt sVperâ VndenVs febr VarIVs aXereCVrsat,
LaVdlbVs ah qVantls, baCChe MlseLLe Cadls?

Ebrius

E Brius es Sophiâ, Francisce, thymumq; farumq;
Spiras, verba tibi dictitat ipsa CHARIS.
Ipsa CHARIS; quin Suada decens se junxit eidem,
Gaudet & in labijs sedem habuisse tuis.
Albis testis adest qui, te dicente, venusto
Murmure subrisit, sicq; probavit opus.
Sunt testes Proceres, queis claret Leucoris, & qui
Huic presunt multo laudis honore gregi,
Testis & est juvenum selecta corona, loquentis
Mellitos avidâ qua bibit aure sonos.
Ternus testis adest, quid adhuc, Francisce, cupiscas?
In trino verum cunctimodum ore manet.
Ebrius ergo clues Sophiâ, te Suada rigavit,
Et non cornigeri pocla profunda Patris.

Adplaudet.
Josephus Cörberus, Urfers-
hemio-Fr.

A L I U D.

Quanta sit Ebrietas & fax, & caussa malorum,
Nectareæ mentis sedulitate refers.
Nam dum clara repleas facundis pulpita verbis;
Ebria dum taxas queis benè vita placet:
Dum laudas hos qui sunt sobrietatis amantes;
Hoc coràm doctis auribus arte probas.

Certè

Certè opus egregium. Sic pòst quoque, docte Magister,
Virtutes lauda, crimina pelle foràs.
Hinc Tibi consurgent & laus, & fama peremnis,
Carus erisq; Solo, carus erisq; polo.

7 C.

Herculis innumeras laudes, Heroica facta,
Quas meruere, canant, queis mage Apollo favet.
Illius æternâ factum hoc est laude canendum,
Utque illud taceant secula nulla, meret.
Quando nihil curans tua blandimenta, voluptas,
Vitavit casses insidiosa tuos.
Contrà ostendenti sed iter sudore parandum,
Virtuti dixit: Tu mihi sola places.
Hæc etenim quamvis multo sudore paretur,
Post onus æterna laude & honore beat.
Illa licèt primum mera mellea verba loquatur;
Fellea fit tandem, pestifera atque nocet.
Quod scandens igitur cum laude hîc pulpita, coram,
Tot doctis facias verba diserta viris;
Illos laudando, curæ queis sobria vita est,
Taxandoque simul queis pecuina placet.
Rem facis egregiam: Sic pòst quoq; docte Magister,
Virtutis curras in studio & stadio.
Et te fama, decus, te gloria lausq; manebunt,
Gratus eris doctis, Carus erisq; Deo.

Moris & honoris gratiâ gmtulabatur.

Petrus Hundius Raceburgen-
sis Saxo.

Oratio



Oratio de Ebrietate.

PRæclarè Alphonsus Arrágo-
num & Siciliae Rex sapientissimus, Ma-
gnifice Pro-Rector, Vosque Patres A-
cademici, Viri admodum Reverendi,
Amplissimi, Consultissimi, Excellentif-
simi, Præceptores ac Fautores æternum
honorandi; tuque literatissimorum Juvenum Coro-
na lectissima, splendidissima, nobilissima; præclarè,
inquam, Alphonsus, cum interrogaretur, *cur vinum
aquâ dilueret?* respondit, *ne ebrius sim;* indicans, gra-
ve ac teterrimum vicium esse ebrietatem, & omnibus
honestatis & sapientiæ studiosis, tanquam pestem le-
thiferam fugiendam: *Hæc enim est flagitiorum omnium
mater, furoris genitrix, petulantia magistra, radix crimi-
num, origo viciorum, turbatio capitis, subversio sensus,
tempestas lingua, procella corporis, naufragium castitatis,
amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus lan-
guor, mentis sana debilitatio, turpitudine morum, dedecus
vita, honestatis infamia, anima & vitæ corruptela, &
mortem ante tempus accelerans,* teste Augustino: Hæc
ubi regnat & dominatur, ibi exulat ratio, intellectus
obtunditur, consilia deviant, & judicia subvertuntur:

C

Hanc

*Antonius
Panormita
lib. 2. de di-
ctis & factis
Alphonsi re-
gis.
Ebrietatis
mala.*

*In lib. ad
Sac. Vingi-
nes.*

O R A T I O.

Hanc qui habet, homo non est, & seipsum non habet; hanc qui facit, peccatum non facit; sed est totus peccatum.

Senec. epist.

84

Esa. 5. v. 11.
de vinolentis,
quos lugeat.

Ibid. v. 22.

Luc. 21. v. 34.

Rom. 13. v. 13.

Si rem ipsam penitiùs consideramus; ebrietate non privatos tantùm homines extremam in paupertatem atque inopiam, imò discrimen & corporis & animi redactos: sed & Principes, Reges, imò totas sæpè urbes, regna florentissima & potentissima imperia funditus periisse deprehendimus. DEUS enim ut omnium scelerum ac viciorum aliorum justus vindex & ultor existit acerrimus; sic etiam hoc turpe ebrietatis vicium non solùm odisse, verùm etiam tandem istos helluones & ebriosos omnes punire, & æternum exitiùm iis denunciare solet. Ut videre est apud Esaiam cap. 5. ubi Propheta inquit: *Va, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usq; ad vesperam, ut vino estuatis.* Et mox; *Va, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Et Christus veritas ipsa inquit; *Cavete vobis, ne corda vestra graventur crapula, & ebrietate.* Et D. Paulus vera Evangelicæ gloriæ tuba ait: *Honestè ambulate, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitis, non in contentione & amulatione.*

His, & aliis quàm plurimis Sacræ Scripturæ dictis gravissimè comminatur omnibus illis, qui ad imaginem Dei conditi, helluando longè se infra bestias abiiciunt. Nunquam enim eas, aut perrarò naturæ debitum excedere, aut ita vorando & potando se onerare conspiciamus, ut ad opera destinata prorsus inutiles reddantur, quæ hominibus istis ebriosis, & vesaniam ac immodicam corporis ingluviem sectantibus,

bus,

O R A T I O.

bus, & totum sese diem ingurgitando consumentibus non rarò contingere videmus.

Quamvis autem, ut Marci Catonis, cum se parum æquis auribus audiri à plerisq; animadverteret, verba repetamus, perdifficile est ad Ventrem verba facere, eumque admonere; multò autem difficilius ei quicquam persuadere, quòd auribus carens, nihil eorum percipiat, quæ ipsi dicuntur, ut maximè corripiatur, & modus ac norma aliqua vivendi ei præscribatur: tamen longè alia est persuasio mea de literatissimo hoc theatro, quod semper fuit officina Spiritus Sancti. Absit enim, ut ea mentem meam subeat cogitatio, necessariam esse ad refrenandam ebrietatem orationis meæ cohortationem. Temporis rationem habere volui, & quoniam dies illi præ foribus sunt, qui Bacchanalium celebratione tum olim infames fuerunt, tum hodie apud nonnullos sunt; de execrando ebrietatis vicio, ejusque incommodis atq; effectibus pauca in medium proferre constitui, ut ita facilius tum meipsum, tum etiam alios ad temperantiam, auream illam virtutem excitarem.

Vos a. Magnif. Pro-Rector, Viri Reverendi, Ampliff. Consultiff. Excellentiff. Domini & Patroni observandissimi; cæteriq; singuli ac universi, qui adestis, auditores, omni virtute atque doctrinâ ornatissimi, ut mihi tantis de rebus balbutienti potius, quàm ornatè dicenti, benevolas attentasq; aures præbere non gravemini, magnopere & officiosè rogo. De tanto enim, tamque deformi vicio, quod hominum animos non aliter ac dirum quoddam pestis contagium occupat, orationem affero, non multis verborum luminibus

Venter caret auribus.

Occasio habitæ orationis.

O R A T I O.

nibus ac flosculis oratoriis exornatam; sed humili, rudi ac simplici stilo compositam; quam ut æqui bonique facere velitis, submissè rogo & oro: præsertim cum more jam olim in hanc Scholam introducto receptum sit, ut non solum eruditioribus; verum etiam rudioribus de quacunque honesta materia dicendi locus concedatur. Hoc si impetravero, quemadmodum omninò confido: omnem animi devoti observantiam, studium & diligentiam Vobis pro re nata officiosè prolixèque præstandam promitto, defero, devoveo.

*Ebrietatis
origo.*

Soleo sæpè mihi ante oculos ponere atque crebris in memoriam revocare cogitationibus, quid sit, quòd hujus vicii atrocitas cæterorum viciorum foeditatem suã turpitudine longè superet ac vincat: & quod acriori me intentionis stimulo sæpè pungit, qui fiat, quòd in rebus cunctis nulla deterior, proh dolor! homini mortali à Diabolo labes aspersa sit ipsa Ebrietate. Verum paulò accuratiùs mihi cogitanti, pessimæ rei multò pejorem originem esse deprehendo.

Jacob. 3. v. II.

Virtus, quæ naturã bona, quæq; omni laude prædita, nihil nisi, quod laude dignum, in lucem proferre potest. Quomodo enim, ut Jacobus 3. cap. inquit: *Fons idem ex eodem foramine amarum & dulcem aquam emitteret?* Quod cum verum sit, quis adeò demens? quis adeò Cyclopicis moribus infectus existit? qui hujus pessimi vicii originem, ex Satana omnium malorum fonte, profluere mecum non affirmet? Cum omnia, quæ à Deo omnis boni datore promanant & profluunt, bona sint, nobisq; salutaria, etiamsi corpori nostro interdum ob gravia peccata obesse videantur, prosint tamen animæ ad salutem.

San

O R A T I O.

Sanè Plato, philosophorum parens, etiamsi homo Ethnicus, tamen Deum non mali alicujus auctorem, sed causam omnis boni in natura esse affirmat, neque admittendum Homeri errorem stultè dicentis in Jovis limine duo jacere dolia, unum bonis plenum, alterum malis: Quantò minus ergo nos, qui Christiani perhiberi volumus, & sacrum Codicem & ipsius Dei verbum habemus, quo singulis diebus ad veritatem erudimur, Deo causam peccati aut alicujus mali originem ascribere debemus? Quoniam Genesios I. cap. legimus, *quòd omnia, quæ à DEO præpotenti facta erant, fuerint valdè bona.* Quis non intelligit omnia mala, pravas etiam inclinationes ac vicia, quæ odit, aversatur ac punit DEUS; nominatim verò, intemperantiam, luxuriam ac ebrietatem, quæ multas calamitates ac miseras in genere humano, proh dolor! excitant ac disseminant, ab hoste Dei Diabolo originem habere?

Non ignorat callidus ille veterator ac deceptor, quanta sit pravitas humani ingenii, quàm levi momento ad ruinam homines impellantur: Itaque tum aliàs semper ad varia peccata & flagitia instigat homines, tum verò præcipuè hoc tempore, quo Bacchanalia celebrantur, & mortales sibi quidvis licitum esse existimant; dum Viri indecòro vestitu induti, larvis obvoluti, undique discurrunt, vultus suos dissimulantes, convivia agitant, epulis indulgent, cantharos ac cyathos cerevisia vinoque spumantes certatim evacuant: His sæpè illecebris irretiti tales efficiuntur homines, ut neque lingua, neque caput, neque pes, neque ullum corporis membrum ritè suum facere queat of-

C 3

ficiam;

*Dialog. 2. de
rep. vel de
justo.*

Gen. 1. 9. 31.

*Bacchanalia
turpitudi-
do.*

*Terent.
Eunuc. Act.
IV. Scen. V.*

O R A T I O.

Juvenal.
Sat. 6.

Mendacio-
rum & per-
juriorum
mater est
alea.
Joban.
Saresb.

Psal. 22. v. 1.
& Matth.
27. v. 46.
Tit. 2. v. 12.

Horn. epist.
lib. 1. ep. 5.
Ebrietas se-
creta reve-
lat.

ficiam; quando vertigine tectum ambulat, & geminis exurgit mensa lucernis, secundum Satyricum: tunc nec modus ullus, nec lex, nec ordo servatur; sed unam atque alteram septimanam helluando noctem in diem, & dormiendo diem in noctem commutant; jurgia levi de causa serunt, dum mens vino tota quasi sepulta jacet.

Sunt qui chartarum pictarum aut alexa lusu tempus numerosque perdant, cui lusu Diabolus astas, inimicitias inter collusores ac rixas movet atque disseminat: Hinc n. jurgia, plagae, vulnera, mutilationes, grassationes, caedes, homicidia & ejusdem generis infinita existunt mala.

Plerumque autem hisce furiis magis male feriati, quam reliquo anni tempore, aguntur hac ipsa anni parte, qua mentes pia sobrietate ad considerationem mirandorum Dei operum, & meditationem interiorum passionis CHRISTI essent praeparandae, quaeque inter alia cogitandum, quam lamentabilem Filium Dei toto corpore lacertus & in cruce pendens vocem ediderit, inquiens: *Eli, lamma sabacthani*, hoc est, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Nos vero si aeternas poenas tantis peccatis debitas effugere volumus: *Sobrii, casti, & pudici vivamus in hoc seculo*; colamus Passionalia JESU CHRISTI, non Bacchanalia Ethnica, ex quibus nefanda libido, turpissima helluatio & omnis generis vicia, tanquam ex fonte perenni profluunt.

Quid enim, quaeso, ut Poetae praestantissimi verba repetam, *Quid non ebrietas designat? nonne operta recludit? nonne arcanorum adeoque etiam propriae turpitudinis est revelatrix? Nonne homines ebrii consilia arcana cum magna & publica & privata praesepere pernicie produunt, garriunt inutilia, vana & stulta proferunt, & dum proni sunt ad maledicta & execrationes? Quod est praestan-*

O R A T I O.

tissimū in homine membrum, si rectē adhibetur, eiq;
à Deo Opt. Max. ad sui nominis celebrationē datum,
lingua scilicet, ad ipsius Dei & proximi contumeliam
abutentes. Quàm multi mortifera loquuntur, reditu-
rasq; per jugulum voces non continent?

Verū longius multi progrediuntur; & in plateis
nō secus ac si insanirēt, hinc inde discursitātes, obvios
sibi quosq; gravissimis, ob lanam sæpè caprinā, ut dici-
tur in proverbio, afficiunt cōviciis, & cū sint benè no-
ti, omni turpitudinis genere ita polluūtur, ut ad loca
etiā suspecta & prohibita delati latebras quærāt; (*omnes*
enim qui malè agūt, lucem fugiunt, ne scelera illorū palām
fiant.) Imò ea committant, quæ apud castas & pudicas
aures cōmemorare piget ac pudet, ut ex Lothi & alio-
rū magnorū virorū exēplis videre licet. De quo relatu
digna sunt Origenis verba: *Ebrietas decepit eum, quem*
Sodoma non decepit; uritur ille flammis mulierum, quem
Sulphurea flāma non ussit. Qui in urbe nefaria Sodomæ
multis versatus annis integrū à sceleribus se conserva-
verāt, hic ebrietate postea obrutus probrosum patra-
vit incestum.

Quòd si omnia percurras tum sacra, tum profana
scripta, neminem invenies usq; adeò divinū, sanctum,
præclarum, illustrem, qui in temulētix malum prola-
psus, non etiam variis scelerum & flagitiorum generi-
bus fuerit cōtaminatus. Verissimè ergo dixit, quicūq;
dixit, μέθλω εἶναι μητρόπολιν τῶν κακῶν, hoc est, à crapula
tanquam colonias omnium flagitiorum deduci: &
laudatur Diogenis sententia, qui τὴν μέθλω μανίας με-
λέτω, ebrietatem insanix exercitationem esse dixit.
Nam ebrietate dominante, dominatur libido, &
omnia

Job. 3. v. 20.

Origenes in
Gen. cap. 19.
homil. 5.
Lothi ince-
stus.

Camerar.
Sirac. 31.

Stob. Serm.
88.

O R A T I O.

omnia vicia, quantumvis atrocia tunc maximè locum habent: Tunc, *Venus in vinis, ignis in igne furit*, ut Poëta canit. Agnoscit hoc Isocrates, cujus hæc sunt ad Dæmonicum verba: *ὅταν ὁ υἷς ἐπὶ οἴνῳ ἀεφραγῆται, ταῦτα πάλιν τοῖς ἀφραστοῖς ἡνιόχῃς ἀποβάλλῃται*, h. e. mens hominis à vino corrupta, similis est curribus, qui aurigam amiserunt. Consentit his Augustinus; *Ebrietas, inquiens, in utroque sexu cuncta mala appetit, & nefanda committit.* Nec alienum ab his est Propertii illud:

Ovid. lib. 1.
de arte
amandi.

Isocrates.

August. in
lib. ad sacras
virgines.

*Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpè suum nescit amica virum.*

Propertius
lib. 2. eleg.
penult.

Lib. 3.

Maximè verò insignes in hanc sententiam sunt Lucretii versus:

*— Hominem cum vini vis penetravit
Acri, & in venas discessit diditus ardor;
Consequitur gravitas membrorum; præpediantur
Crura vacillanti; tardescit lingua; madet mens;
Nant oculi; clamor, singultus, jurgia gliscunt.
Cur ea sunt? nisi quòd vehemens violentia vini
Conturbare animam consuevit corpore in ipso.*

Valer. Max.
lib. 2. ca. 127.

Quæ omnia sapientissimi Romani prævidentes sexui foemineo, ut Valerius Maximus refert, usu vini interdixerunt, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur foemina. Quæcunque enim foemina vini usum appetit immoderatè, virtutibus januam claudit, & delictis aperit.

Vinum immoderatè sumptum utrique sexui, ut jam dictum est, nocet, eique gravissimos, tum corporis, tum animi morbos affert, oculos reddit lippos, il-
lorum.

O R A T I O.

lorumque *δύναμιν* ac omnem videndi potestatem tandem subtrahit; oris anhelitum facit gravem ac intolerabilem; calorem naturalem extinguit; humorem radicalem exsiccat, pulchritudinem deformat, vigorem & florem ætatis infirmit. Vigore autem & lumine ingenii debilitato & consumpto ab ingluvie illa & temulentia; viri ad officia sunt inepti, ad consultandum & dispiciendum, quid honestum, quid utile; nec ad exequendum, quod ab aliis deliberatum est & decretum, nec ad legationes ritè obeundas sunt idonei. *Ut enim continentiam in victu sequitur valetudinis integritas: ita si refertos epulis tanquam opimos boves contempleris, facile intelliges, qui voluptatem maximè sequuntur, eos minimè consequi; jucunditatemq; victus esse in desiderio, quo condiuntur omnia, non in satietate, qua fastidium parit, ut prudenter Cicero differit.*

Sed hæc relinquo Medicis, qui rationes possunt reddere, quomodo immodica ingurgitatio calorem nativum & humidum radicale exhauriat, & quomodo perturbet ac impediatur concoctionem, unde infinitæ cruditates, & universi per totum corpus sanguinis corruptio: nervorum dissolutio: quomodo hinc existat hydrops, *δυσπληξία*, tremor & languor membrorum; dolores capitis ingentes. Hoc sanè experientia testatur, quòd qui per noctem poculis indulget, die etiam sequenti è lecto vix ante prandii horam surgere queat, & tandem si surgat, ad opus tamen suum perficiendum sit inutilis.

Ita nimirum *ebrietatem sequitur hebetatio sensuum omnium, ac ferè rerum omnium oblivio morsq; memoria:*

D

hinc

*Nullus usus
in ulla re
ebriosi.*

*Cicero lib. 5.
Tusculana-
rum ques-
tionum.*

*Damna va-
letudinis ab
ebrietate.*

*Plin. lib. 14.
cap. 22.*

O R A T I O.

hinc stupor in tota mente; Hinc ad intelligendum sapiendumq; & ad eloquendum ineptus redditur homo. Adhæc, ventriculus malè concoquit cibum, & epar officio sibi à naturâ demandato fungi nequit; sed ob nimiam hanc ingurgitationem inflammatur. Inflammato autem epate, mortem denique immaturam sibi accelerant hujusmodi homines, quod quotidiana experientia, & exempla passim obvia satis superque testantur. Itaque verum est, quod vulgò dici solet:

Ense cadunt multi, sed perdit crapula plures:

Qui versus videtur expressus de sententia Siracidæ: *Sirac. cap. 31. v. 28.* *ἐν οἴνω μὴ ἀνδρίζῃ; πολλὰ γὰρ ἀπώλεσεν οἶνον.* Et dignum est, quod hîc referatur, epigramma recentioris cujusdam autoris:

Olim hominum generi rigidus vitam abstulit Ensis;

Nunc brevior cyathis mortis aperta via est.

Nunc miseri vitris vitreum deperdimus ævum;

Sic similis fragili vita putanda vitro.

Senec. epist. 60. Omnino Ebrietas unius horæ hilarem insaniam, longi temporis tædio pensat.

Ac profectò deplorandum & horrendum auditu est, quòd Diabolus hominum animos ita dementat, oculosque ita occæcat, ut proprii corporis fiant homicidæ, & quod multò miserabilius, quòd animam in æternum exitium ac damnationem abducant, & ut Basiliius affirmat, *Caini maledictionem sibi attrahant.* O animorum durities ac ἀσοφγία! O humanæ mentis cæcitas! O misera & omnibus temporibus miseranda hominum conditio! Quòd hujus vitæ voluptates, quæ

Basil. in Orat. 16. de ingluvie & ebrietate.

O R A T I O.

quæ sunt momentaneæ, caducæ ac minis durabiles, æternis ac perpetuis, cum quibus nullo modo sunt conferendæ, anteponant, & pessimum illud vicium ebrietatis, in qua perexigua est delectatio, tam magni faciant helluones, qui profectò non homines, sed porci, juxta Christi Servatoris verbum, appellandi sunt.

Matt. 7. v. 6.

Quemadmodum enim porci nihil optant, nihil quærunt, præter glandem, qua pinguescant, & lutum, in quo volutentur & dormiant: Ita & hi lurcones ad perdenda vina geniti nihil aliud affectare videntur aut spectare, imò non aliud præmium vitæ intelligere, quàm qua ratione pinguescant & opimos se reddant: Non enim edunt, ut vivant, quod Socrates summus ille philosophus se facere dicebat, nosque omnes, ut Christianos, facere decebat: Sed vivunt, ut edant, & ideò se in Mundo esse putant; quasi caro nostra non satis per se esset inepta, tum ad Dei contemplationem, tum ad ejus mandatorum observationem, nisi eam indies magis magisque cibo ac vino dulci gravarent.

Socratis Apophthegma.

Quid? quòd hujusmodi comedones ac helluones non porcis & bestiis solùm similes; sed & illis ipsis longè inferiores multòque deteriores sunt habendi. Has enim rarò supra modum esse, aut potare videmus, & si aliquando plus justo edant vel bibant; tamen non ita modum excedunt, ut vacillent aut labantur, & se in latibula sua recipere nequeant; quæ certè hominibus contingunt, qui inebriari non possunt, quin rationis & sensuum, atque amicorum, famulorum denique, & domus suæ obliviscantur. Itaque hujusmo-

Ebriosis bestiis deteriores.

O R A T I O.

*Basiliius
homil. 14.
Psal. 115.
v. 5. 6. 7.*

di homines rectè dixit D. Basiliius, *os habere, nec lo-
qui: oculos, nec videre: aures habere, nec audire: nares,
nec odorari: manus & pedes, nec tangere aut ambulare:
guttur, & vix clamare posse.*

*Ex ebrie-
tate jactu-
ra multi-
plex.*

Neq; illud tacendum, quòd helluones tempus
operi suo destinatum inutiliter perdunt, & opes à pa-
rentibus summo labore & sudore partas ingurgitan-
do absument, & sic facultates, quas in rem familia-
rem collocare debebant, profundunt, suas conjuges,
liberos, & totam posteritatem defraudant, eisq; ci-
bum veluti ex faucibus eripiunt. Ideò non immeri-
tò Diogenes hujusmodi comedonum ventrem, *vite*
Charybdim appellavit, quòd omnia devoraret, nec sa-
tiaretur unquam. Charybdis tantum ea absorbet,
quæ mari vehuntur, & revomit tandem omne id,
quod absorbit: At lurconum ventriculis nec aër,
nec terra, nec flumina, nec maria sufficiunt; quin &
domos, & agros & prædia integra sæpenumerò absor-
bent, nec quicquam respuunt.

*Diog. La-
ertius lib.
6. & Con-
radus Ly-
costhenes
in lib. Apo-
phteg:*

*Paupertas
ebrietatis
pedisequa.*

Sed quem tandem exitum hi lurcones sortiun-
tur, & qualia ipsos manent præmia? Nõnne ad ex-
tremam sæpè infamiam & maximam rediguntur in-
opiam? ut id quod per luxuriam profuderint, etiam-
si maximè vellent, recuperare tamen nequeant; sed
in summa paupertate ac ignominiâ vitam suam de-
gere ac finire cogantur, quod sacra Scriptura etiam
confirmat. Salomonis enim hæc sunt: *Qui amat vi-
num & unguenta, non ditescit. Potator & comessator ad
inopiam redigetur, & laceris vestibus se induet.* His con-
sen-

*Prover. 21.
v. 17.
Ibid. 23.
v. 20.*

O R A T I O.

senti Augustinus: *Ebrius*, inquit, *confundit naturam*, *amittit gratiam*, *perdit gloriam*, *incurrit damnationem aeternam*. Item in libro de Pœnitentia: *Ebrius cum absorbet vinum*, *absorbetur à vino*; *despicitur ab Angelis*, *deridetur ab hominibus*; *destituatur à virtutibus*; *confunditur à Demonibus*; *conculcatur ab hominibus*. Quæ cum ita se habeant, & cum tanta tamque multiplicia vitæ incommoda ex illa quotidiana ingurgitatione promanent, ut non scripta solum Ethnicorum, sed & divinarum literarum monumenta testantur; quis adeò demens adeoque omnis rationis expers, qui hanc non magis, quam leonem, tigrim, serpentem, draconem, aut aliam feram, quantumvis immanem, timendam & eò diligentius fugiendam esse animadvertat?

Verùm ut hujus viciî atrocitas clariùs adhuc enitescat, ei temperantiam contrariam opponemus virtutem: Contrariorum enim, secundum Aristotelem philosophorum omnium facilè principem, juxta se positorum veritas magis elucescit.

Nam hæc virtus tam utilis, tam præstans, tamque hominibus necessaria, ut sit laudabilium rerum veluti fomes, quo luculentus ignis incenditur: Hæc, inquam, virtus sola facit, ut non solum de Dei voluntate & essentia sobriè cogitare; verùm etiam in omnibus rebus omnipotentiam ipsius; admirandam omnium rerum creationem, imò elegātem omnium partiū in corpore nostro dispositionē, & vivā illarum

Augustin:

Antithesis Crapula & Temperantia.

Aristoteles 3. Rhetoricor. 2.

Temperantia in qualibet vitæ parte eluceat. Sabellicus.

O R A T I O.

imaginem, quæ haud immeritò *μικρόκοσμος* dicitur, & admirandum in brutis animalibus opificium, considerare valeamus.

σωφροσύνη, δώρημα
καλλίστου
Θεῶ. Sopho-
cl.

Hæc virtus nobis ansam præbet, ut non solum omnium rerum fœcunditatem in procreandis fructibus, & hujus amplissimi theatri pulchritudinem, lucidissimum cœlum, cœlique clarissima lumina apertis oculis intueamur; sed omnes etiam cogitationes ad autorem referamus: Hujus virtutis dignitas homines quàm plurimos ad summos honorum gradus evehit, iisque felicitatem affert. Nam unde, quæso, Alexandro Regi potentissimo tanta omnium rerum felicitas? unde tanta illi in alienis terrarum oris & ditionibus subigendis celeritas? Non fortuna huic Regi tantam largita est dexteritatem; non ex parente suo Philippo tantam animi fortitudinem, qua barbarorum hominum in ultimis Indiæ finibus ferocitatem coercere, horrendarum ferarum, Lynceum, serpentum & Leonum vires prostrernere & superare potuit, percepit & hausit: Profectò non voluptatibus exquisitisque delitiis illud sibi nomen, quòd totius orbis terræ dominus ac Monarcha dictus est, comparavit. Itaque interrogatus, cui res suas laudabiliter gestas potissimum adscriberet; Sobrietati primas partes dedit.

Temperan-
tiæ elogium.

Hæc verò virtus non regio ornata, non Crœsi divitiis & bonorum omnium opulentia, non preciosissimis Margaritis & Indicis thesauris, quæ res vulgi oculos delectant, exulta incedit: verum hujusmodi gemmis expolita & ornata splendet, quæ & clarissimas

mas

O R A T I O.

mas Jaspides suo nitore obscurant, & omnes Indiae totiusque Mundi fortunas sua praestantia facile vincunt. Praeterea, hujus nobilissimae virtutis tanta est dignitas atque utilitas, ut nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus, nec studium philosophicum, nec artes liberales sine hac consistere queant. Quomodo enim physicarum rerum cognitio, quae in sola rationis consideratione consistit, vigeret, si Sobrietate, quae mentis vires acuit, vigorem ingenii excitat, destitueretur? Quomodo Ethicae & Politicae integritas, quae tum in moribus gubernandis, tum in consiliis dandis versatur, inviolata superesset?

Quid quaeso Turcas tam bellicosos & formidabiles, quid hos in praелиis victores, quid denique in omnibus rebus paratiores & cautiores reddit? Nonne id Sobrietati & Patientiae, in qua a teneris exercentur annis, acceptum est referendum? Quoniam hi non tam delicatè & molliter, ut aliarum gentium milites, vitant; sed tempore belli exiguo apparatu contenti, placentis ex aqua & farina paratis, vescuntur.

Ex quibus omnibus satis liquet, quam utilis ac necessaria sit Sobrietas, sive in bello cum hostibus, sive in pace cum amicis & civibus nobis sit conversandum: imò in omnibus rebus, sive domesticis, sive forensibus; sive privatis, sive publicis negociis, quae rectè gubernari & administrari velimus, hujus divinae virtutis ope & auxilio indigemus.

Nihilominus tamen, quod vehementer dolendum & detestandum, permulti apud nos inveniuntur,

*Custos virtutum omnium verecundia.
Cicero.*

O R A T I O.

Augustinus. tur, qui hanc floccifaciunt, imò alto supercilio contemnunt, & ventris ingluviem ac vesanam illam temulentiam, quam Augustinus non inconcinnè *omnium flagitiorum matrem, omnium criminum radicem, & omnis castitatis naufragium* appellat, magis curant, admirantur & sectantur, quàm sobrietatem omnis sapientiæ, honestatis & eruditionis nutricem.

Strabo lib. 14. & Erasmus lib. 8. Apoph. Quare de his meritò id quod de Jasiis refertur, dici poterit. Nam hi populi cum maxima ex parte piscibus victitant, & ex tintinnabuli sonitu, piscium forum instare, cognoscerent, subito Cantorem, qui in foro artem suam ostentabat, deseruerunt, ad piscium mercatum advolantes: uno excepto, qui quòd surdaster esset, tintinnabuli sonitum non audierat, aut certè non attenderat. Huic citharædus propius accedens, gratias egit, quòd & artem honorasset, & non passus esset, se prorsus esse desertum. Tum ille, an crepuit tintinnabulum? ut annuit, valebis, inquit, egregie magister, seseq; mox ad pisces proripuit, Citharædo relicto, qui sibi suisq; Musis cecinit.

Probitas laudatur & alget. Quid existimatis, de vulgo hominum? Nonne idem hac tempestate plerique facturi essent? Certè si quis adveniens, aliquot dolia vini secum afferret, illaque in foro vel alibi exponeret, ut omnibus, quantum vellent, asportare liceret, nonne universi magis dulcedine vini, quàm sacris concionibus ducerentur? nonne creditis eos celerius ad vinum asportandum, quàm ad conciones audiendas properaturos?

Homines ad excusanda vitia sua fecundi. Liv. Tanta est, proh dolor! nostræ mentis & oculorum caligo ac cæcitas, ut de ventre magis, quàm de anima, quæ tamen corpore longè præstantior, simus solli-

O R A T I O.

solliciti, atque ita malum pro bono, vicia pro virtutibus arripiamus, ita ut etiam ea excusare sæpè non erubescamus. Quid enim? An non helluones putant se Deo pergratos esse, si duntaxat vino obruti, quotidie benè vivant, prætendentes vini usum ad hilaritatem & lætitiàm à Deo concessum esse? Verùm ut usus jure meritoque laudatur; sic abusus omnibus in rebus damnatur. Vinum opportunè & moderatè sumptum, non corpus solùm alit & corroborat; sed etiam animum exhilarat & acuit. De hoc ipso usu Timotheum suum Paulus Apostolus monet; *Ne amplius aquam bibe*, inquit; *sed exiguo vino utere*, propter tuum stomachum & crebras infirmitates.

*Qua esset
vita in vi-
ni penur-
ria? Sirac.
cap. 31.
v. 31.
1. Tim. 5.
v. 23.*

De temperato vini usu quemadmodum & abusu memorabilis est Plinii sententia: *Neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud perniciosius, si modus absit*; digitum velut intendens in illud Theognidis:

*Plin. lib.
14. cap. 5.*

Οἶνον μὲν πίνειν πᾶσι καλῶς, κακὸν ἢν δὲ
τις αὐτὸν

Πίνῃ ἐπισάμεν, ἔσκακόν, ἀλλ' ἀ-
γαθόν:

Theognis.

Et hoc poëta veteris: οἶνον τοῖς μὲν μέτριον πίνεσσι καὶ κεκραμένον, εὐθυμίαν φέρει; ἔαν δ' ὑπερβάλης, ὕβριν.

Sed de temperato vini usu longè præclarrius Siracides præcipit: *Vinum*, inquit, *adjucunditatem creatum est, & non ad ebrietatem ab-*

*Sirac. 31.
v. 35. &
seqq.*

E

ini-

O R A T I O.

initio. Exultatio animæ & cordis vinum temperativè & moderatè potum. Sanitas est anima & corpori sobrius potus. Vinum affatim potatum, & iram & rixas, & ruinas multas facit.

*Chrysofost:
homil. 58.
in Matth.*

Idem Chrysofostomus affirmat: *Datum est vinum ad lætitiã, non ad turpitudinem nostram: datum est ut rideamus, non ut derideamur: ut rectè valeamus, non ut egrotemus: ut imbecilla corpora reficiamus, non ut robur animi deiciamus.*

*Vini usus
triplex.
Plin. li. 14.
cap. 1.*

Triplici scilicet modo Deus in sacris literis homini usum vini concessit, tum ad necessitatem, ut vires illius reficiantur: tum ad medicinam: Vineæ quippe, Plinio teste, *in medicaminibus adeò magnum obtinent locum, ut per sese vino ipso remedia sint: tum denique ad hilaritatem, ut verã & honestã cor lætitiã afficiatur, & in hunc modum Josephus dicitur esse inebriatus cum fratribus.*

*Gen. 43.
v. 34.*

*Xenoph.
Cyrop. lib. 1.*

At vinum immoderatè sumptum venenum est, ut Cyrus respondit Astyagi socero sciscitanti, cur vinum, quod ei in patera offerri jussisset, bibere noluisset: *Quoniam, inquit, venenum esse credidi, cum nuper vidissem in convivio, ad quod amicos vocaveras, neminem, qui id bibisset, non ita debilitatum corpore, ut ambulare non posset, ita animo ægrum, ut nihil intelligeret, aut saperet. Et ex sapientibus quidam*

O R A T I O.

quidam laudatur, qui ut intemperantiam Alexandri M. cohiberet, hæc ad ipsum scripsit: *Vinum potaturus Rex, memento te bibere sanguinem terra: Sicut cicut a homini venenum est; sic cicut a vinum.*

Plin. lib.
14. cap. 5.

Numquid igitur prorsus à vino abstinendum, dicat aliquis, & tanquam abominabile & pestiferum quiddam illud contemnendum? Non certè. Non enim *ideò non sunt natura sua bona, quæ vicio malè utentium nocent.* Tibiam non rescamus, etiamsi claudicet; nec nares rescindimus, etiamsi sint mucosæ: Sic nec verum & legitimum vini usum damnamus, aut reiicimus prorsus, etiamsi vino permulti abutantur.

Senec. 5.
natur.
quæst. ul-
timo.

Sunt etiam qui allegare solent morem loci & consuetudinem receptam, & jam longo annorum usu confirmatam, itemque amicitiam & fraternam societatem, ut aliquid habeant, quo fædam & omnibus piis & Christianis hominibus abominandam & detestandam crapulam & ebrietatem defendant. Sed num legitima est furti excusatio, si fur obtendat suam furandi consuetudinem? Num sicarii & adulteri ritè excusantur, si dicant, se illis viciis à teneris assuevisse? Si res ex consuetudine essent comprobandæ, quid antiquius culpâ primæ parentis Adami? quid cæde fratricidæ Caini? quæ in ipsis seculorum primordiis scelera perpetrata fuere.

Ebrioso-
rum præ-
textus fu-
tiles.

Imò hanc ipsam ob causam magis execrabilis est illa potandi consuetudo, quòd *ea necessitas vicium illud*

Cicero.

O R A T I O.

comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem: & quanto plus gurgites illi biberint, tanto magis sitiant.

Jam verò si amicitia & societas hominum, communitasque vitæ nefariis moribus alenda; quid latronum conjunctissima societate præclarius erit? miram enim esse malorum convenientiam neminem latet hominum. Imò verò hoc tenendum: *Non consuetudine & exemplis; sed legibus judicandum esse.*

*l. 13. C. de
sent. & in-
terloc.
omn. jud.*

Augustin:

Exod. 23.

v. 2.

Multitudo errantium, ut hoc ab Augustino mutuemur, non parit errori patrocinium. Sed multis ante Augustinum seculis per Moysen Deus præcepit: Ne sequaris turbam ad faciendum malum.

*Divitia
quo pacto
rectè collo-
canda.*

Non etiam nulli luxum & profusiones suas excusari posse autumant, quòd opibus ac divitiis abundant. Quibus rebus, inquirat, nostros proventus, nisi amicis prolixè accipiendis impendamus? ô stупida! ô plumbeacorda! Quasi in eum finem illos à Deo accepissent, quasi nulli essent pauperes, erga quos exercenda sit charitas, quasi Eleemosynæ nomine nihil erogare debeant; quasi liberalitas Dei illos luxuriosos & dissolutos esse cogeret, quasi mensa fundamentum esset amicitia, & vinum validissimum omnium ad constringendos & inter se devinciendos amicos vinculum; quasi illorum bona periissent, nisi ipsi periissent. Miror autem, quòd illos non pudeat inquinare & contaminare tam sanctum amicitia nomen; (quæ ut firma sit & sincera nullo alio
niti-

O R A T I O.

nititur fundamento, quàm virtute) neque timeant, ne injuriam amicis faciant, quòd eos parasitis assimilent & mensarum affeclis, qui non nisi ob cibum delicatarum suos dominos amant, & cum iis amicitiam colunt.

*Amicos
res inve-
nit. Plaut.*

Sed ut ad finem mea deducatur oratio, quemadmodum nautæ Scyllam & Charybdim, ingentes illos in mari scopulos fugiunt; sic nos ebrietatem fugere ac vitare; ex adverso autem temperantiam, omnium virtutum seminarium, in nostris mentibus non absque uberrimo fructu plantatum, excolere decet, ipsiusque pulchritudinem summa cum reverentia excipere. Nihil enim homini Christiano honorificentius, nihil dignius, nihil utilius, nihil magis necessarium contingere potest.

Epilogus.

Quapropter si favorem Dei Opt. Max. nobis exoptamus: si nostra nobis valetudo & sanitas cordi est: si studia liberalia, quæ debent esse charissima, chara sunt: si virtutem & honestatem, si denique pietatem ac salutem animarum nostrarum amamus, ebrietatem, quâ nihil infestius, nihil turpius, nihil tetrius ac horribilius ex furiarum sedibus, ab impiis Gentibus Diaboli instinctu omnis petulantia & fæditatis Ducis, in hunc Mundum prodiit, toto pectore detestemur & fugiamus, eamque à nobis quàm lōgissimè propellamus; fugiamus, inquam, ebrietatem, tanquã venenũ; revolvamus semper nobiscũ ebriosum neminẽ in cœlorũ regnum perventurũ. *Nolite*, inquit Aposto-

*1. Cor. 6.
v. 10.*

O R A T I O.

1. Cor. 6.
v. 10.

lus, errare: nec ebriof, nec conviciatores regnum caelorum hereditabunt.

Contrà verò sobrietatem, quæ sapientiæ ac eruditionis nutricula est, exosculemur, sectemur, colamus. Hanc enim qui non maximi facit; Hanc qui non ambabus amplectitur manibus, is hyberna glacie frigidior, is Caucasi rupibus durior meritò est censendus.

Votum.

Quod superest, ut orationis vela contrahentes felicitis navigationis portum ingrediamur, ad tuam, æterne Deus ac benignissime Pater Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, qui es omnium virtutum Dominus, & castitatis ac sobrietatis Fons ac Scaturigo, ad tuam, inquam, summam bonitatem supplices advocamus, & à tua clementia votis ardentissimis petimus, ut non solùm almo Spiritus tui lumine intimos nostræ mentis recessus illumines; verùm etiam pravis voluntatis affectibus & impuris cordis nostri cogitationibus frenæ pietatis iniicias, & ita nos cohibeas, ne Diabolo, qui nos à temperantia & cæteris virtutibus abducit, & ad ebrietatem omniaque vicia rapit, locus ullus detur.

Conserve, ô Deus, Principes populi tui,
Serenissimum nostrum ELECTOREM
JOHAN-

O R A T I O.

JOHANNEM GEORGIUM, Ducem
Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium &c. unã
cum Illustrissima Coniuge & utrãque Vidua
Electoralis, & Inclyta domo Saxonica tota,
quasi pupillam oculi tui; Præsta illos salvos ac
florentes in Annos plurimos, & Principali gu-
bernationi ex alto benedicas clementissimè,
ut nobis, qui doctrinarum studia in hac Aca-
demia colimus, honesto ac literato isthoc ocio
frui diu liceat: ut P A X salutaris ac honesta,
cum vero D E I cultu stabilis hisce terris ma-
neat & perpetua.

Ecclesiam, vineam istam ô DEUS, quam
plantavit dextera tua, & in qua veræ Religionis
doctrina fideliter docetur, calore tuo cœlesti
foveas, ab omni fermento Calvinistico & aliis
Sectis *impollutam in æternum* clementer custo-
dias.

Denique Academiam hanc VVitteber-
gensem, secundùm magnam misericordiam
tuam diu florentem, sartam tectamque con-
serves, omnium disciplinarum ac scientiarum
Magistros, Doctores & Professores celeberrim-
os, Præceptores & Patronos nostros, Spiritu
tuo sancto gubernes, tuearis ac defendas, &
quæ

Deut. 32.

v. 10.

Psal. 17.

v. 8.

Psal. 80.

v. 10.

2. Machab.

14. v. 30.

O R A T I O.

quæ adhuc usque diem pro benignitatis tuæ
gratiâ & crevit & floruit, eam nostrâ culpâ ne
sinas decrescere & deflorescere: Sed maneat
hortus ille tuus amœnissimus, in quo omnis
generis arbores, non quidem tortuosæ, sed re-
ctæ; non curvæ, sed excelsæ; non steriles, sed
fœcundæ, plantentur, adolescant, mature-
scent, & fructus perpetuò expectatione di-
gnos hominum generi afferant.

DIXI.



In



In Orationem

DE EBRIETATE.

M. Francisci Schvvabii.

Errantis gressus magno qui nititur ausu
Impiger in rectum ducere rursus iter,
Is non fucati, sed veri nomine amici
Gaudet & aeterno est dignus honore coli:
Hoc prestare tibi cura est, Francisce, nocivo
A luxu mentes qui revocare studes:
Conatum quis non laudet? quis carmine dignum
Hoc, Schvvabii, studium non feret esse tuum?
Tu verò studiosa cohors, quam Leucoris, & quam
Publica sustentant clara Lycea alibi,
Huncce salutare ductum sectare monentis,
Jovæ eris & magnis sic adamat a Viris.

Balthasar Mencijs Nimecensis
Saxo Electoralis. Anno Æ-
tatis LXXVIII.

F

Gracu-

Gracculo faniozem mentem.



Quid te discruciat, vanissime Graccule,
quid-ve
Svubiada partus te movet ille no-
vus?

Scilicet in causa est rodendi scæva cupido,
Lividuliq; atror pectoris ille tui.
Quippe bonos odisse soles; laudare malignos,
Mordacem adsimilans voce animoq; canem.

Josephus Cörberus.

Ad Momum.



Darcito lividulo scriptum hoc arrodere
dente
Mome; vide prius, an rodere jure
queas.

Verba hic sunt rebus recto juncta ordine, & aptus
Materia stylus est conveniensq; sacra.

Si

*Sit tamen istud opus consueto carpere more
Perplacet; en merces digna parata tibi.
Dicetur: Momus meliora his proferat; at si
Non poterit, Momus turgidus est asinus.*

Naamannus Bernhardinus
Hufanus Holfatus.

F I N I S.

Errata.

- B. 3. lin. 9. pro lubidinosa lege lubidinosa.
C. 3. fac. 2. lin. 30. pro præsepe l. persepe.
D. 3. fac. ult. in marg. pro facundi l. facundi.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly obscured by the paper's texture and a large water stain in the lower right quadrant.




f 5202


● X 2614202

VO 17

[Handwritten signature]







O R A T I O
DE EBRIETA-

TE ET CRAPULA DE-
TESTANDA AC FUGIENDA,

ET

TEMPERANTIA AC SOBRIE-
tate amanda & amplectenda,

*In Inclytâ Academiâ VVittebergensi conscripta & publicè
pronunciata in Auditorio maximo Collegij D. FRIDERICI,
die XI. Februarij, Anno M. DC. XVI.*

à

Francisco Schvvabio Racebur-
gense Saxone, Philosophiæ & Opt.
Artium M.

Ephes. 5.

Μὴ μεθύσησθε οἴνω, ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσωτία.

WITTEBERGÆ.

Ex Officina Typographica Johannis Richteri.
Impensis Pauli Helvvigii Bibliop.

Anno M. DC. XVI.